

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 3. Quomodo fieri potuerit & factum sit, ut posteri Adami in ipso contra
præceptum de non comedendo fructu, qui ab eo per viam generationis
naturalis descensuri erant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

ejus amica & filia adoptiva, atque regni cœlestis hæres, & coheres Christi filii sui.

Dices. Major gloria esset B. Virginis, majusque privilegium, præservatam fuisse, ne in Adamo peccaret. R. majorem hanc gloriam non esse tribuendam B. Virgini sine sufficienti fundamento, quale nullum est, Imò tribui non potest secundum Scripturas & sensum Patrum. Præterea, major procul dubio fuisset gloria B. Virginis, non nasci ex Adamo, aliisque parentibus peccato maculatis, quorum etiam aliqui fuerunt reprobi, & tamen ex eis nasci B. Virginem voluit Deus. Itaque hujusmodi argumenta nihil probant. Addo, graves aliquos Doctores, ut Bellarminum, Valquem, &c. oppositam sententiam, quæ docet B. Virginem in Adamo non peccasse, notare ut periculosam, & fidei minis consentaneam.

ARTICULUS III.

Quomodo fieri potuerit & factum sit, ut posterius Adami in ipso contra præceptum de non comedendo fructu peccante peccaverint.

RESPONSIO I.

Deus potuit in voluntate Adami includere voluntates posterorum ejus in ordine ad observationem & transgressionem præcepti de non comedendo fructu.

Prob. Nam v. g. Respublicæ & Principes possunt includere voluntates subditorum suorum in voluntate unius in ordine ad aliquos actus & effectus morales, qui non excedunt eorum jurisdictionem: ut patet in pupillis, quorum voluntas in voluntate tutorum jure civili posita est in ordine ad certos effectus. Ergo à fortiori Deus, qui habet supremum in creaturas suas dominium, potuit in voluntate Adami includere voluntates posterorum ejus in ordine ad quoscunque effectus, & consequenter in ordine ad observationem & transgressionem præcepti de non comedendo fructu: ita ut si observaret præceptum, censeretur observare; si verò transgrediretur, transgredi censeretur.

RESPONSIO II.

Deus re ipsa in ordine ad observationem & transgressionem præcepti de non comedendo fructu inclusit in voluntate Adami voluntates posterorum ejus, qui ab eo per viam generationis naturalis descensuri erant.

Prob. Nam 1. Deus potuit hoc facere, ut probatum est. 2. Ad negandum quòd fecerit, asserti non potest ratio, quæ sit alicujus momenti. 3. Ad affirmandum quòd fecerit, gravem habemus rationem, Nam hoc pacto faciliè intelligitur & explicatur, quomodo in Adamo contra præceptum de non comedendo fructu peccante posteri ejus peccaverint. Supposito enim quòd Deus re ipsa, &c. 1. voluntas & libertas Adami, relatè ad præceptum de non comedendo fructu, fuit secundum æstimationem moralem voluntas & libertas hominum, qui ab eo naturaliter descensuri erant. 2. Et ita Adamus non potuit transgredi præceptum de non comedendo fructu, quin simul præceptum illud, secundum moralem æstimationem, transgredirentur homines ab eo naturaliter descensuri. 3. Et ita peccatum, quo Adamus præceptum de non comedendo fructu transgressus est, fuit secundum moralem æstimationem peccatum hominum, qui ab eo naturaliter erant descensuri. 4. Et ita omnes illi & soli in Adamo seu per Adamum peccaverunt, qui erant ab eo naturaliter descensuri. 5. Quærenti quare infans concipiatur & nascatur privatus gratia, odibilis Deo, & reus damnationis, respondeo, quia concipitur & nascitur infectus peccato primi parentis. Quærenti quare concipiatur & nascatur infectus peccato primi parentis, respondeo, quia ubi primum incipit esse, perinde se habet in ordine ad contrahendam maculam hujus peccati, ac si illud voluntate propria commisisset. Quærenti quare sic se habeat, respondeo, quia voluntas & libertas primi

parentis, relatè ad tale præceptum, fuit æquivalenter & secundum moralem æstimationem voluntas & libertas infantis: unde primo parente tale præceptum transgrediente, infans æquivalenter & secundum moralem æstimationem illud transgressus est, atque ita primi parentis transgressio fuit æquivalenter & secundum moralem æstimationem transgressio infantis.

Obj. Non potest dici quomodo Deus in voluntate Adami voluntates posterorum ejus incluserit. R. hoc ipso inclusisse, quòd absolute & efficaciter voluit, ut Adamus posteros relatè ad tale præceptum apud se repræsentaret, ut sive observaret, sive transgrediretur, censeretur nomine omnium & pro omnibus observare, vel transgredi; vel, quod idem est, ut sive observaret sive transgrediretur, in eo & per eum observare vel transgredi censeretur ejus posteri.

Dices. Vel hoc Deus voluit independentè ab Adamo, vel non. Item Deum hoc velle, vel innouit Adamo, antequam peccaret, vel non innouit. R. nobis probabilius videri, quòd Deus hoc voluerit independentè ab Adamo, quia hic modus volendi possibilis est, & magis decebat supremam Dei majestatem, ejusque supremum in creaturas dominium; nec occurrit ratio alicujus momenti, quæ suadeat Deum ad hoc volendum expectasse consensum Adami. Videretur autem nobis hanc Dei voluntatem Adamo, antequam peccaret, innouisse, ut inde cautior evaderet, & intimatam fuisse verbis illis Genes. c. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Quibus, juxta communem Interpretum sententiam, Deus Adamo & posteris ejus, qui ab eo seminaliter descensuri erant, mortem tum corporalem tum spiritalem comminatus est.

Dices. Si Deus sic inclusit in voluntate Adami voluntates posterorum ejus, peccatum Adami Deo potius quàm posteris ejus tribuendum est. R. neg. Deus enim in voluntate Adami non inclusit voluntates posterorum ejus ea intentione, ut in eo peccante peccarent; sed ex sincero affectu, ut in Adamo præceptum observante censerent ipsi observare, & sic observando mererentur justitiam originalem; vel, quod eodem redit, ut Adamus non solum pro se, sed etiam pro posteris præceptum observans illis justitiam originalem mereretur.

Dices. Si Deus sic inclusit in voluntate Adami voluntates posterorum ejus, iniit pactum aliquod cum Adamo, & ejus posteritate in ipso. Sed tale pactum est merum commentum. R. Deum cum Adamo, & ejus posteritate in ipso, iniisse pactum, non formale, positum in consensione duorum vel plurium, sed virtuale, positum in decreto efficaci, quo voluit absolute & efficaciter, non expectato Adami consensu, ut Adamus esset caput morale posterorum suorum, eoque repræsentaret in observatione vel transgressionem præcepti de non comedendo fructu; ea lege, ut ipso præceptum observante, infunderetur illis originalis justitia propter observationem præcepti, quæ esset illorum æquivalenter, & secundum æstimationem moralem; illo verò transgrediente præceptum, nascerentur sine originali justitia, utpotè ea indigni propter transgressionem parentis, quæ illorum æquivalenter & moraliter esset transgressio, qua proinde à primo instanti conceptionis macularentur, nisi ab hac macula per speciale beneficium præservarentur. Hoc autem pactum malè dicitur esse merum commentum: cum illud inter alios agnoverit Sanctus Augustinus lib. 16. de Civitat. cap. 27. ubi hæc verba Genes. cap. 17. *Pactum meum irritum fecit*; sic habet: *Omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt.* Quibus verbis S. Doctor totam doctrinam à nobis hoc Art. traditam compendiosè exprimit.

Dices. Tale pactum esset injustum. R. neg. Cum enim Deus supremum habeat in dominium in creaturas suas, potuit absque ullius injuria omnium nostrum voluntates ponere in voluntate unius in ordine ad actum, à quo pendere volebat justitiæ originalis transfusionem, præsertim cum posuerit in volun-

luntate unius, quem tot donis scientiæ, virtutum & iustitiæ originalis præmunivit, cum rem facilem præcepit, quem ad implendum præceptum abundantius auxilio adjuvit, propositum etiam tanto in obedientia mercedem, & privato ipsius & totius posteritatis commodo.

Obj. 2. Posterius Adami in eo peccaverunt, quia in eo virtualiter continebantur, tanquam in capite physico humani generis, quatenus omnes ab eo per generationem naturalem descendunt erant. *R.* hoc dici non posse: alioqui peccassent non solum peccato, quo transgressus est præceptum de non comedendo fructu, sed etiam omnibus aliis peccatis ejus, etiam venialibus; quia tunc non esset potior ratio pro uno Adami peccato, quam pro aliis. Dicendum igitur in Adamo peccante posteros ejus peccasse, quia in eo continebantur ut capite morali, & persona illos representante vi divinæ constitutionis, quoad transgressionem sicut & observationem præcepti de non comedendo fructu. Quo supposito, intelligitur quare posterius Adami uno illius peccato peccarint, & non aliis.

ARTICULUS IV.

Quinam contrahant peccatum originale.

RESPONSIO I.

Illi soli contrahunt peccatum originale, qui ab Adamo per generationem naturalem descendunt.

Prob. ex Conc. Trid. sess. 6. c. 3. ubi dicitur: *Homines, nisi ex semine Ade propagati nascerentur, non nascerentur iniusti.* Ratio à priori est, quia illi tantum contrahunt peccatum originale, qui peccaverunt in Adamo. Nam contrahere peccatum originale, nihil aliud est, quam ab origine habitualiter maculari peccato primi parentis. Illi autem soli hoc modo maculantur, aut etiam maculari possunt peccato primi parentis, ad quos peccatum illud pertinet; & peccatum illud ad eos tantum pertinet, qui peccaverunt in primo parente; proindeque illi tantum contrahunt aut etiam contrahere possunt peccatum originale, qui in Adamo peccaverunt. Atqui illi tantum peccaverunt in Adamo, qui ab eo per generationem naturalem descendunt; cum illorum tantum, & non aliorum, voluntates inclusæ fuerint in voluntate Adami. Ergo, &c. Hinc Christus, qui non per viam generationis naturalis, sed mirabili Spiritus sancti opera conceptus est, nec contraxit nec contrahere potuit peccatum originale.

RESPONSIO II.

Omnes illi contrahunt peccatum originale, qui per generationem naturalem descendunt ab Adamo, nisi speciali beneficio ab illo communi malo eximantur.

Est contra Calvinistas, docentes natos ex parentibus fidelibus, à reatu peccati originalis immunes esse per non imputationem. Quamvis enim agnoscant in filiis parentum fidelium esse habituales concupiscentiam, in qua totam originalis peccati rationem constituunt; volunt tamen esse in illis sine reatu pœnæ, & exclusionem à regno cœlorum, præcisè propter parentum sanctitatem, & nullo alio adhibito remedio. Contra hunc perniciosissimum errorem,

Prob. Resp. 1. Ex Script. Nam David natus erat ex parentibus fidelibus, & tamen Psal. 50. fatetur se conceptum fuisse cum reatu peccati originalis. *Ecco, inquit, in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Cum autem dicit, *in iniquitatibus*, numerum pluralem ponit pro singulari, quod Hebræis familiare est. Idem testatur Apostolus Ephes. 2. ubi de se & aliis fidelium parentum filiis affirmat, quod tam nati essent obnoxii odio Dei, & consequenter quod tam nati essent cum peccati originalis reatu, quam parentum infidelium filii. *Eramus, inquit, natura filii iræ.*

Prob. 2. Ex sensu Ecclesiæ, quæ semper judicavit baptismum ad salutem necessarium esse omnibus om-

nino parvulis, etiam parentum fidelium, & de illis semper intellexit illud Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Neque aliam ob causam fidelium parvulis, de vita periclitantibus, summa sollicitudine baptismum semper procuravit. Accedit auctoritas antiquorum Pontificum, Conciliorum & Patrum, qui, cum contra Pelagianos dicunt, eos qui naturaliter descendunt ab Adamo, nasci cum reatu peccati originalis, & baptismum indigere ad consequendam salutem & regnum cœlorum, nunquam excipiunt parvulos, ex parentibus fidelibus natos: imò Calvinianum errorem pluribus locis expressè refellit S. Augustinus. Unum pro omnibus proferamus. Sic itaque loquitur lib. 2. de peccat. mer. & remiss. c. 25. *Explicent etiam quomodo iustum sit, ut sancti ex fidelibus, & immundi ex infidelibus nati, pariter tamen, si baptizati non fuerint, regnum Dei non permittantur intrare. Quid ergo illis ista sanctitas prodest?*

Itaque juxta S. Doctorem, parentum etiam fidelium filii nascuntur, non sancti & iusti, sed peccatores & iniusti, proindeque obnoxii odio Dei & æternæ damnationi; cum non minus quam filii parentum infidelium, baptismum indigeant, ut intrare possint in regnum Dei, & consequenter ab æterna damnatione eximi; cum inter regnum Dei seu salutem æternam, & æternam damnationem, non sit medium. Merito igitur Synodus Tridentina sess. 5. can. 4. dicit: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizando negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam... anathema sit.* Quo anathemate configitur Calvinus, qui lib. 4. inst. cap. 16. docet fidelium parvulos ante baptismum susceptum, jam pertinere ad promissam credentibus hereditatem, nec baptismum indigere, nisi ut fiant membra Ecclesiæ.

Prob. 3. ratione. Quia, seclusa speciali præservatione, omnes illi contrahunt peccatum originale, & nascuntur cum reatu peccati originalis, qui peccaverunt in Adamo. Atqui omnes omnino, nullo excepto, qui naturaliter descendunt ab Adamo, in Adamo peccaverunt. Ergo, seclusa speciali præservatione, omnes omnino, nullo excepto, qui descendunt naturaliter ab Adamo, contrahunt peccatum originale, & nascuntur cum reatu peccati originalis. Minor constat ex dictis superius. Major verò facili probatur. Nam peccatum Adami fuit, secundum moralem æstimationem, peccatum actuale illorum omnium, qui in Adamo peccaverunt; proindeque naturali necessitate illos omnes, qui in Adamo peccaverunt, habitualiter maculat, ubi primum sunt, & consequenter à primo instanti conceptionis perfectæ. Ergo illi omnes, qui in Adamo peccaverunt, hoc ipso præcisè quod in Adamo peccaverunt, naturali necessitate, ubi primum sunt, seu in primo instanti sui esse, sunt odio & pœna digni propter peccatum Adami: habitualiter enim hoc peccato maculari, aliud nec est nec esse potest, quam esse propter illud odio & pœna dignum. Ergo, seclusa speciali præservatione, illi omnes, qui in Adamo peccaverunt, hoc ipso præcisè quod in Adamo peccaverunt, naturali necessitate contrahunt peccatum originale & ejus reatum: cum contrahere peccatum originale & ejus reatum, nihil sit aliud, quam esse odio & pœna dignum propter peccatum ab Adamo ut morali generis humani capite commissum. Porro dixi semper, seclusa speciali præservatione, propter B. Virginem, quam speciali Dei beneficio à peccati originalis macula præservatam fuisse, infra ostendemus.

Obj. illud Apostoli 1. Cor. cap. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt.* *R.* Apostolum hoc loco hortari conjuges fideles, ne deserant conjuges infideles, si modò velint pacificè cohabitare; & rationem hanc reddit, quia matrimonium non

fit